

Vndecimum, ut differat horis duabus cum dimidia & quarta, distetq; partibus 38. cum dimidia ac duodecima.

Duodecimum, ut horis differat tribus, ac distet partibus 40. dimidia, tertia & duodecima.

Decimumtertium, ut differat horis tribus cum quarta, distetque partibus 43. & duodecima.

Decimum quartum uero, ut differat per horas tres cum dimidia, ac partibus distet 45.

Decimum quintum, ut horis differat quatuor distetque partibus 48. dimidia & duodecima.

Decimum sextum, ut differat horis quatuor & dimidia ac distet part. 51. & dim.

Decimum septimum, ut quinque differet horis, distetq; partibus 54.

Decimum octauum, ut differat horis quinque cum dimidia, ac distet partibus 56. & una sexta.

Decimum nonum, ut sex differat horis, distetq; partibus 58.

Vigesimum uero, ut horis differat septem, ac distet partibus 61.

Vigesimum primum, ut per octo differat horas, distetq; gradibus 63, ac scriptum per Thylem.

Scribetur & alius ad meridiem ab æquinoctiali, qui horæ dimidiæ contineat differentiam, qui & per Raptum promontorium & Cattigaram transibit, loca oppositione sua ferè æqualia, ac distet ab æquinoctiali partibus octo dimidia.

In Caput uigesimumtertium annot.

Meridiani, inquit, isti, de quibus præcedenti ca-

pite dictum est, complectentur 12. spacia horaria, id quod patet, si 180 gradus diuiseris per quindecim. Nam 15. gradus longitudinis efficiunt unam horam, quod ex demonstratis cõsequitur. Scriptis itaque meridianis signandi sunt paralleli. Extremus autem uersus meridiem parallelus, qui cognitam terminat terram, tantam distat ab æquinoctiali, quantum parallelus per Meroën uersus septentrionem. Nostro uero æuo, quando tota Africa & littora eius cognita habentur, plures uersus meridiem statuendi sunt paralleli quam Ptolemæus signauerit. Notandum hic clima differre à parallelo, quia clima est spaciū terræ inter duos parallelos interceptum, in quo maximæ diei ab initio climatis ad finem usque est dimidiæ hore uariatio, sumptum in ea terræ ab austro ad arctum uersus intercedunt, qua polus septentrionalis eleuatur est graduum 50. & minorum 30. submissior graduum 12. & minorum 45. Ponuntur autem septem, quæ sua nomina ab insigni aut urbe aut fluuio aut monte sortita sunt. Primum transiit per Meroën Africæ ciuitatem in torrida zona sitam. Secundum per Syenem urbem Aegypti Punicæ. Tertium per Alexãdriam metropolim Aegypti. Quartum per Rhodum, Asiæ minoris insulam. Quintum per Romam. Sextum per Borysthenem insignem Sarmatiæ fluuium. Septimum per Ripheos montes. Ultra hæc septem climata potest terra ultra parti Latitudo tamen semper magis magisque decresceret, nam ad modicam distantiam uersus polum dies sensibilibiter augetur. Quanto enim polus mundi attollitur, tanto zodiacus horizonta obliquius intersecat, maioresq; arcus dierum supra hæmisphærium nostrum relinquuntur, quàm sint arcus noctium sub hæmisphærio demissi, sole signa septentrionalia percurrente.